

05

A

727



41

ΘΕΟΣ! ΘΕΟΣ!
DISPUTATIO PHYSICA
ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ
QVÆSTIONIS:

An omnia Agentia
naturalia suos cogno-
scant fines?

QVAM
In Illustri ad Albim Academia
Publicæ Philosophantium limæ submittunt
PRÆSES

M. CHRISTOPHORUS MAZÆ/
ET

RESPONDENS
JOACHIMUS BÜSSE / Brandenburgô-
Marchici.

Ad diem V. Maij, ANNO MDCLX.
In Auditorio Minori,
Horis matutinis.

WITTEBERGÆ,
Typis MICHAELIS Wendt.

43



DISPUTATIO PHYSICA
KATA KEKATA
QUESTIONES

ANOMALIA
MATHESIS



M. CHRISTOPH. W. ...

727 A 50

727



ΠΡΟΠΑΡΑΣΚΕΥΗ.

Dissensum Autorum diexodicè exponens.

Multa de fine Agentium naturalium disputare solent Philosophi, è quibus nunc eam, quæ proposita est, quæstionem tractandam nobis seligimus. SPERLINGIUS, Vir Incomparabilis & Beatus, sapienter cordateq; affirmativam tutatus & interpretatus est. Vidit Scrutator Naturæ solertissimus, nullam specierum corporis naturalis temerè & inconsultò agere. Vidit Deum cuius rei suum concessisse cognoscendi modum ac modulum. Æquum esse arbitratus est, Creatori, minima quædam creaturarum sapientibus sapientiora dicenti, suum addidisse calculum. Favet ipsi, quem citat Pererius, qui lib. 8. c. 3. p. 454. constanter & apertè satis asserit: *In quolibet agente naturali esse virtutem & inclinationem naturalem, per quam determinatè & necessario ad suas actiones & fines perducatur.* Hunc sequuntur alii, quorum nomina, ne in allegandis Philosophorù autoritatibus prolixi simus, tacemus. Tres insuper Viros nominâsse sufficiat. Nobilis Tycho de Brahe, lib. 1. Epist. Astron. p. 60. dicit: *Se judicâsse semper naturalem motu scientiam singulis stellis cognitam, vel potius divinitus inditam esse, ut sciant suû cursum exactè peragere & absolvere.* De Plantis affirmat Eienus: *quod finem suum cognoscant & humorem sibi convenientem attrahant, disconvenientem respuant.* lib. de viribus Phantasiæ p. 15. Idem de brutis probat Rodericus ab Arigaga disp. 8. Phys. Sect. 6. subsect. 2. *Nullò modo, inquit, credibile, canem v. g. ostensò pane accedentem ad hominem nihil cogitare de pane, nec velle se movere, ut panem quem intuetur accipiat; aut canem qui baculò repellitur non timere baculum, & propter illum vitandum fugere, sed tantùm cogitare de fugâ. Licet autem à bestiis cognoscatur utilitas finis, non inde sequitur, eas discurrere, quia hoc in brutis fit naturali in-*

Instinctu, sine ullô discursu aut reflexâ comparatione. Quamvis ergò non inepta, non nova sit, sed bona sit, prisca sit, vera sit, quam laudati Viri sententiam fovent: tamen nunquam non inventi fuerunt, qui eam eliminare laborârunt: Veritatis hæc conditio, ut omni tempore oppugnetur ab iis qui falso hærent, & opinionem ac umbram sectantur. Antiqua hæc in re veterum Philosophorum fuit opinio: opera naturæ non ex intentione & cognitione alicujus finis provenire; sed casu fieri, vel ex concursu atomorum temerè ita concurrentium, vel ex necessitate quâdam materiæ, ut lib. 2. Phys. c. 7. & 8. contra Anaxagoram, Empedoclem, Democritum, & Epicurum disputat Aristoteles. Fuerunt, qui existimârunt: bruta uti ratione, licet imbecilliori quàm homines, cujus ope cognoscerent fines suos: quæ sententia refertur solet ex Porphyriô lib. 3. de abstinentiâ. Alii, referente Svareziô, ut hoc evitarent incommodum, in alium extremum errorem inciderunt, negantes bruta verè quicquam cognoscere aut appetere appetitu elicito, sed solùm naturali pondere ferri, ut lapidem, aut extrinsecus mora & attracta, sicut ferrum trahitur à magnete. disp. Metaph. 23. Sect. 10. p. 558. Communis tandem sententia fuit: bruta nec omninò nôsse finem, neq; tamen prorsus ignorare eum: Agentia verò sensu & ratione destituta omni finis cognitione carere prorsus. Huic opinioni ut concilietur autoritas, quid non tentant Interpretes? Conimbricenses lib. 2. c. 9. quæst. 2. Art. 2. p. 417. tria faciunt Agentium naturalium genera, unum eorum, quæ nôrint finem & habitudinem, ac proportionem mediorum ad finem: ut homines, quos propriissimè propter finem agere dicunt. Alterum eorum, quæ nec omninò nôrint finem, nec prorsus tamen ignorent, quæ nôrint finem & media non formaliter, sed materialiter, i. e. rem eam quæ est finis, & rem eam quæ est medium, non sub ratione finis & medii, nec proportionis medii ad finem; sed sub ratione boni & convenientis: & ita bruta instinctu motuq; Phantasiæ potiùs agi in fines, quàm seipsa agere. Tertium eorum, quæ nullô modò cognoscant finem, qualia sunt ea, quæ & ratione & sensu carent. Hæc enim à superiori & excellentiori causâ, nempe ab ipsô Naturæ Opifice dirigi ad fines suos

suos obtinendos. Illustrant rem cum D. Thomâ I. p. quæst. 102.
 art. 1. simili quodam. Sicut, dicunt, sagitta motus sui ignara,
 impetu & directione jaculatoris in scopum tendit: Ita bruta
 animalia, & reliqua sensu & ratione carentia, tendunt ad fines
 suos, dirigente ea Deo glorioso, cui finis illorum notus. Alii
 aliâ incedunt viâ, frustrâ tamen se macerantes. Nostrum secu-
 lum, quod nescio quô fatô ita comparatum est, ut nihil ferè un-
 quam tam absurdum ab aliquo assertum fuerit, quod non suum
 hîc inveniat defensorem, etiam huic obsoleto errori dedit Pa-
 tronos. Non dicam de Suarezio, qui l. c. §. 15. existimat: na-
 turalem instinctum, cujus ope bruta fines cognoscunt, nihil
 aliud esse, quàm actum Phantasiæ seu Imaginativæ. Ille, qui in-
 viciniâ degit, & aliquoties B. nostrum Sperlingium, quamvis
 sine ejus incommodô, aggressus est, eundem errorem inculcat,
 Instit. suarum lib. I. punct. 4. p. 144. in Notis ad Jachæci Phy-
 sicam l. 2. c. 10. p. 171. & in Meditat. Phys. nuperrimè editis l. 1.
 super Axioma 2. B. Sperlingii p. 208. Huic solùm ex recentiori-
 bus adjungo D. Johannem Freitagium, Groningensem Medi-
 cinæ Professore in disputatione Medico-Philosophicâ de
 Formarum Origine, B. Dn. D. Sennerto potissimum oppositâ,
 thes. 19. Arnoldum Sengverdum Introduct. Phys. c. 4. p. 44.
 Melchiorum Cornæum Curric. Philos. tract. 2. dub. 14. p. 214.
 Adrianum Heerebord, Philosophum Lugdun. Volum. 2. Melet.
 Philos. disp. 24. thes. 2. pag. 266. & Johannem Tatinghovium
 Clav. Philosoph. Ration. c. 8. q. 1. p. 193. seqq. hanc quoq; opi-
 nionem propugnantes. Nos à parte Præceptoris stantes, ejus-
 dem sententiam, ceu verissimam, in præsentiarum paulò altius
 consideraturi sumus. Cum autem non in transitu capiatur ve-
 ritas, manu levi, & animo vagabundo, meditabimur, quô
 pacto ea, quæ ad præsens institutum facere videntur, certis
 limitibus includere queamus, ut ita verum, quod potius aurô,
 quod præstantius gemmis eruatur, confirmetur, & ea, quæ obni-
 tentibus inexplicabilia sunt, facilia fiant & expedita. Sit ergo

ΠΑΡΑΣΚΕΥΗ.

*Quædam Notabilia circa statum con-
 troversie præmittens.*

§. 1. Ac primò quidem putamus nobis opus esse, ut in terminum Agentis naturalis inquiramus: solet quippe sumi vel in totâ suâ latitudine, prout omnibus corporibus naturalibus competit; vel strictius, prout Agenti voluntario & indeterminato, quod determinat sibi finem, & potest velle & nolle, contradistingvitur, & sic istis saltem quæ necessariò agunt, & non nisi ad unum oppositorum determinata sunt, specialiter tribuitur. Posteriores significationem facimus nostram, rejicientes Heerebordi sententiam, quâ per naturalia Agentia, in hoc negatiò, non bruta etiam; sed inanimata tantùm, & animâ vegetativâ prædita, intelligi posse falsò autumat.

§. 2. Nec minùs & hoc observamus: in tractatione hujus controversiæ nobis non sermonem esse de cognitione alienâ; sed propriâ. Interpretes, cum videant naturale Agens non posse appetere finem, nisi eundem quoq; cognoscat, cum omnis appetitus præsupponat cognitionem; ad aliam causam, omnes omnium fines prævidentem, Deum nempe gloriosum confugiunt, eundemq; non secus ac sagittarium, qui scopum inspicieus, impetum sagittæ imprimit, quò eundem attingat, omnia ad fines debitos inclinare, existimant. Verùm, ita non saltem ex subordinatis faciunt opposita, sed præterea statum controversiæ immutant. Non quæritur: an ob alterius; sed an ob propriam cognitionem Agentia naturalia in finem ferantur? Dirigit quidem Deus eorum fines sibi notissimos, non tamen cognitionem & intentionem propriam ipsis adimit. Hominum quoq; fines Creator Opt. novit ac disponit, at propriâ cognitione gaudent. Actiones Causæ Primæ non excludunt actiones Causarum Secundarum. In ordinariis Naturæ operibus nec Deus sine naturâ est, nec natura sine Deo. Simile de sagittâ est dissimile, & valdè claudicat. Refutamus illud verbis Pererii, quæ habet lib. 8. c. 3. p. 454. *In sagitta non est naturalis inclinatio, aut virtus pertendendi atq; perveniendi ad scopum, quocirca indiget motione ac directione jaculantis: At in gravi & quolibet agente naturali est virtus & inclinatio naturalis, per quàm determinatè & necessariò ad suas actiones & fines perducuntur.* Accedit & hoc, quod motu violentò ad scopum feratur sagitta; at corpora naturalia

ralia à Deo, per talem violentiam ad fines suos obtinendos protrudi, quis affirmaret? Nullus puto!

§. 3. Distingvimus præterea inter Cognitionem, & cognitionis modum. Cognitio omnibus omnino corporibus competit: modus saltem variat. Quemadmodum enim quædam res sunt supremæ, ut homines; quædam mediæ, ut bruta; & quædam infimæ, ut plantæ & inanimata: ita etiam modus cognoscendi alius est supremus, alius medius, alius infimus. Supremus est, cum non solum finis sub ratione boni cognoscitur, sed etiam proportio & habitudo mediorum ad obtinendum illum ponderatur per intellectum. Medius est, cum finis sub ratione boni cognoscitur, saltem per sensus, & non cognitâ proportionem & habitudine mediorum ad illum obtinendum. Infimus est, cum finis sub ratione boni cognoscitur per naturam & formam à Creatore indultam & attributam. Illum naturis Rationalibus assignamus, & aliò nomine Cognitionem Intellectualem appellamus. Sic Studiosus finem suum cognoscit, & de mediis, quibus obtinere queat illum, deliberat mature. Istum & hominibus, & brutis tribuimus, & aliàs Cognitionem Sensualem appellamus. Sic canis panem oblatum cognoscit, & absq; consiliò & deliberatione arripit. Hunc & hominibus, & brutis, & plantis, & omnibus inanimatis adscribimus, communiter Cognitionis Naturalis nomine eundem insignientes. Sic cognitione hâc formicæ, quæ sæpè nunquam senserunt hyemem, grana colligunt æstate, unde victitent in brumâ, arrodunt granorum capita, ne virescant, ad solis æstum indurant, ne putrescant: Sol orbitam suam quam terit novit, aliàs enim vel dextrorsum vel sinistrorsum extra Ecclipticam abriperetur.

§. 4. Non ergo eò sensu Naturalem sumimus Cognitionem, quatenus Supernaturali opponitur: sic enim & Sensualis & Intellectualis Cognitionis omnino Naturales essent, sed quatenus peculiare cognitionis genus est, tam sensuum quàm Intellectus cognitioni contradistinctum. Adversarii, cum videant unicâ hâc distinctione cognitionem quandam omnibus Agentibus naturalibus assignari, & omnem penè rem facilem fieri & expeditam, nimium quantum laborant, ut eam, vel ut insuf-

ficientem

ficientem limitent, vel ut impertinentem rejiciant. Non nemo Adversariorum dicit: Naturale hîc malè opponi Sensuali & Intellectuali; rectè Supernaturali. Omnem enim cognitionem esse vel Naturalem vel Supernaturalem. Deinde Cognitionem Sensualem & Intellectualem hîc ipsò quò sunt tales, esse Naturales, cum ex naturalibus procedant principiis. At Sperlingius illum tali modo coërcet: *Novimus, inquit, esse ambiguitatem in voce Naturalis. Sed Sophistæ est eam arripere significationē, quâ ludere, quâ decipere possit. Cum Naturale opponitur Supernaturali, dubio procul cognitio sensuum naturalis est, naturalis etiā cognitio Intellectualis. Sed quis de cognitione supernaturali jam loquitur? Hoc queritur: an artem texendi per sensus, an per intellectum habeant araneæ? negatur utrumq;: ergo datur tertium. Hoc queritur: an artem nidificandi per sensus, an per intellectum habeant aves? Negatur utrumq;: ergo datur tertium. Tertium nempe cognitionis genus datur, scilicet Cognitio Naturalis.*

§. 5. Neq; etiam hâc distinctione usq; adeò improbamus Adversariorum opinionem, quâ communiter statuunt: hirundines, araneas, & cœtera animalia, quæ mirâ quâdam industriâ res suas peragunt, cognoscere fines suarum actionum tantum materialiter, non verò formaliter. Eò ipsò enim his Agentibus cognitionem veram & realem suorum finium non denegant, sed modum saltem cognitionis alium esse in istis quàm in intelligentibus asserunt. Non autem necessum est, ut reflexâ & discursivâ cognitione utantur, & ita finem secundum omnia sua prædicata formalia percipiant, quod solius hominis est; sed sufficit, quod modò sibi convenientissimò, naturali nempe & simplicis intelligentiæ, in notitiam suorū finium perveniant. Novit hirundo non per intellectum aut sensus, sed per naturam, verè tamen & realiter rostrò stramina & lutum disponendum, opusq; luteum semicirculari figurâ formandum esse: novit eâdem ratione modum, novit finem, ut molle sibi suisq; pullis cubile præparet. Scit per naturam, non per intellectum aut sensus leo, quod generare leonem debeat: scit modum generandi leonem: scit quoq; finem, nempe ut sibi simile producat, & speciem leoninam ab interitu liberet. Rectè B. Sperlingius

lingius Defens. Synops. p. 631. Dicunt communiter, talia cognoscere finem materialiter, non formaliter. Concedunt ergo aliquam cognitionem, & quidem naturalem, non sensualem tantum. Modum cognitionis tantum, non eum esse dicunt, qui in intelligentibus est. Sufficit nunc, quod sciant quibus agendum sit mediis, & quò perficiendum sit modò. Scit aranea perficiendam esse telam: scit modum perficiendi telã: scit finem, ut capiantur muscæ, & alia minora animalia. Et scit hoc per naturam, non per observationem. Nascitur hæc ars, non discitur. De Vegetativis & Inanimatis idem esto iudicium, cum non verâ & reali, sed reflexâ saltem cognitione careant.

§. 7. Porro, cum Prudentiæ & Sipientiæ voces, quarum sæpè hõc locò fit mentio, Adversariis scrupulũ moveant: distingvendum inter Prudentiam Rationalem, Animalem, & Naturalem. Inanimatis, & iis, quæ singulari quãdam industriã res suas peragunt, Naturalis; brutis Animalis; solis hominibus Rationalis Prudentia competit. Hæc, quam affert hominibus, quæ cætera aufert, senectus, est habitus cum rectâ ratione activus. Ista est notitia futurorum ex memoriã præteritorum. Sic bruta sæpè præfagiunt serenitatẽ aliasq; tempestates: canis regreditur ad culinam illam, in quã accepit carnem. Illa est notitia partim præsentium, partim futurorum, ex solò instinctu naturæ. Sic hirundo non ferrum, sed stramina rostrò colligit, nidumq; suum in locò altiori, ne ad eum accessus detur facilis, mirò struit artificiò. Eãdem prudentiã planta à plantã, metallum à metallò producitur. Sipientiæ vox, stricto loquendo, ratione præditis tantum competit: cum ita denotet habitum discursivum cum notitiã principiorum, simul conjungens notitiam conclusionũ. Latè quando sumitur, significat cognitionem quamcunq; & sic rebus quoq; intellectu destitutis tribuitur. Hõc modò quodvis Agens naturale, cum cognitionem habeat sui finis, sapiens appellamus. De hãc sapientiã D. Hieron. ad hæc divini Psaltis verba: *Impleta est terra possessione tuã, sic habet: Revera omnia opera Domini plena sunt sapientiã: quando enim videmus formicam scire quando hiems venit, & reponere sibi escam; & iterum culicem tam minutum animal habere oculos, ventrem, & universa membra sicut & nos habemus &c. nonne hæc sunt admiratione digna, & sapientiæ plena, videlicet cum rerũ natura nusquam magis quã in minimis mira sit?*

B

§. 8. Hãc

§. 8. Hæc autem sapientiã non sublatam volumus naturalium Agentium constantiam, secus ac nonnulli Adversariorum tentant, distinguentes inter naturalium Agentium sapientiam, & constantiam: hanc non illam ipsis tribuentes. Sunt enim subordinata non opposita, & hinc ambæ Agentibus naturalibus competere possunt. Sciscitantibus ergo nobis: cur pomus hõc annõ tam pulchros producat fructus, quàm prioribus, malè respondent: causam esse pomi constantiam, non verò sapientiam. Nos & ob sapientiam, & ob constantiam pomi hoc fieri, indubitato asserimus, & ceu verissimum hõc locõ præsupponimus.

§. 9. Tandem & hoc notamus, quod de cognitione, non verò acquisitione finis hîc controversatur. Sunt, qui urgent contra nos: Agentia naturalia fines suos sæpè non obtinere, & hinc eadem nec intendere, nec cognoscere fines. At, de eõ non est quæstio. Aliud certè obtinere; aliud cognoscere est. Homo sæpè fine excidit, at eundem cognoscit. Non semper finis acquiritur in executione, qui fuit in intentione. Atq; sic demum hoc in controversiã versatur: *An omnia Agentia naturalia cognitione propriã, & naturis suis competentis, fines suos naturales & ordinarios cognoscant.* Hoc etiam est quod affirmamus.

KATAΣKEYH.

Veritatem adstruens.

§. 1. Probamus verò thesin I. inde, quod necessaria finis conditio sit: esse cognitum. Finis enim non causat nisi cognitõ. Est hæc omnium Philosophorũ recepta sententia, quam Suarez. disp. Metaph. 23. Sect. 7. p. 549. duabus potissimum rationibus demonstrare voluit, quarum primam, generalem, desumit à *realis causæ existentia*: *Ut realis causa causet, inquit, aliquõ esse indiget, sed causa finalis non necessario postulat esse existentie realis proprium & in se: ergo saltem requirit esse in cognitione, atq; ita fit ut finis sæpè causet quando non existit, nunquam autem si non sit cognitus. Sic adeo, ut, licet interdum realiter existat, si non sit apprehensus, nihil moveat effectum.* Alteram, specialem, desumit à *modõ causandi hujus causæ finalis*, qui est: *Metaphoricè movere & allicere appetitum. Hæc motio, inquit, fundatur in naturali consensione & Sympathiã intellectus & voluntatis, quæ intelligi non potest nisi medijs actibus*
ralium

talium potentiarum, nam dum non operantur, neq; movent, neq; moventur, neq; ullam vitalem consensionem habent. In hac verò consensione necesse est ut precedat actus intellectus, quia ille per suum actum vel objectum se habet ut motor, & voluntas ut mota: ergo ad hanc motionem, quam causa finalis exercet circa voluntatem, necessaria est prævia eius cognitio. Est ergo argumentum: *N. finis incognitus causat. Agentium naturalium fines causant. E. Agentium naturalium fines non sunt incogniti.* Major ab omnibus conceditur, & adductis rationibus confirmari potest. Minor probatione vix indiget. Habent enim verum influxum ad causatū, dum efficientem excitant quò agat, & mediis amabilitatē conciliant, & ordinem præscribunt, atq; modum agendi definiunt & determinant. Excipiunt: Agentia naturalia intellectu & voluntate destituta esse, & ideò finem Causalitatem suam circa hæc Agentia non posse exercere, neq; ipsis innotescere. Verum quamvis intellectus his agentibus non competat; tamen naturā propriā gaudent, quæ vices intellectus sustinet, atq; efficit, ut suo modo cognoscant finem. Eadem ratione voluntatem quoq; ipsis non adscribimus; attamen appetitum, qui habet aliquam analogiam cum voluntate non proportionis, sed attributionis, ubi rei veritas adest, his ipsis agentibus assignamus, ut jam ulterius patebit.

§. 2. Confirmamus thesin II. *ab Agentium naturalium Intentione & Appetitu.* Intendunt suos fines, & illos quam maxime appetunt. Argumentamur: *Q. propter finem agit illumq; appetit, illud finem etiam cognoscit. O. Agentia Naturalia propter finem agunt, illumq; appetunt. E. finem etiam cognoscunt.* Major clara est. Nihil enim agit propter id quod simpliciter ignorat. Ignoti nulla cupido. Quæ veritas est quasi principium primum, & axioma Philosophorum omnium. Hinc Aristoteles 3. de Anim. c. 10. ait: *Appetibile non movere, nisi mente aut imaginatione perceptū.* Cui præter interpretes subscribunt D. August. l. 10. de Trin. c. 1. & 2. *Rem, inquit, prorsus ignotam amare omnino nullus potest:* & Anselmus Monolog. c. 48. *Nulla res amatur sine sui memoriâ aut intelligentiâ.* Minorem nemo negabit, nisi rideri ab Aristotele, explodi à Platone, & Galeni jussu etiam vapulare velit. Particularem seu bonum proprium intendunt non saltem, sed

& appetunt, qui tamen in hâc mentis caligine summè nobis ob-
 scurus est. Universalem etiam non respuunt, sed illum ceu com-
 mune bonum intendunt appetuntq;. Omnia à Deo, omnia ad
 Deum. Omnia propter hominem, & homo propter Deum. Piè
 Trismegistus L. de Pietate & Philosophiâ: Πρῶτον ὁ Θεός, δεύτε-
 ρον ὁ κόσμος, τρίτον ὁ ἄνθρωπος. Ὁ κόσμος διὰ τὸν ἄνθρωπον,
 ὁ δὲ ἄνθρωπος διὰ τὸν Θεόν. Item in Clave: Ὁ μὲν ἐν κόσμῳ
 ὑποκείται τῷ Θεῷ, ὁ δὲ ἄνθρωπος τῷ κόσμῳ. τὰ δὲ ἄλογα τῷ
 ἄνθρωπῳ. Ὁ δὲ Θεός ὑπὲρ πάντα καὶ πρὸ πάντων. Cognitio
 itaq; finium omnibus omninò Agentibus naturalibus tribuen-
 da, cum argumentum hoc militet non pro homine tantum, sed
 & pro brutis ex naturæ instinctu agentibus, itemq; vegeta-
 tivis & inanimatis.

§. 3. Confirmamus idem III. *ab ipsâ Experientiâ*. Lapidés,
 plantæ, aranæ, hirundines, apes, & alia, naturalem cog-
 nitionem abundè nobis monstrant. Lapis in altum projectus na-
 turaliter novit, bonum sibi fore, si descendat & in terrâ quiescat.
 Unde deorsum semper tendit, adeò ut si terra usq; ad centrum
 suum terebraretur, eò & ipse ferretur, nec plus ultra, etiamsi
 altera terræ semidiameter & ipsa posset perfodi. Vitis solam
 refugit brassicam, & quum intentis claviculis omnia complecti
 soleat, solâ refugit brassicam. Nam, ut refert Joh. Baptista Porta
 in Mag. Natur. l. i. c. 7. propè illâ esse sentiens, in adversam par-
 tem se torquet, ut si quis eam admoneret hostem esse in pro-
 pinquò, dumq; coquitur brassica, vinum si vel paucissimum in-
 stillès, nec coquitur, nec ipsius color constat. Aranea, ut muscas
 capiat, laxos in foribus suspendit casses, tantâ industriâ con-
 structos, ut stuporem pariant spectatori. Finem respicit, quando
 telam vel arbori vel muro vel sepi firmissimè affigit, ita ut non
 facile à pulverum mole, ventorū impetu, aut imbriū violentiâ
 disturbari possit. Admirabilè certè sapiētiam in eadē deprehēdis,
 quando seorsim à telâ in locò occultò preparat sibi quasi cellam
 quandâ seu cubile, in quò delitescat ne conspiciatur à muscis, &
 in quod importet muscas quas cepit, & reservet donec fame scat.
 Invenis hîc vestigia Geometricæ sapientiæ, subtilis laboris, &
 magnæ providentiæ. Nullus Euclides, alioquin in lineis occu-
 patus, ac in demonstrationibus anxie laborans, laudem animal-
 culo

culo huic præripiet: nulla mulier digitorum subtilitate tam elaboratum conficiet filum. Hirundo nidum suum in loco altiori, ad quem accessus est difficilior, mirò struit artificiò. Finè respicit, quando non ferrum, ligna, & lapides; sed stramina ore suò colligit, & ad locum, ubi vult exstruere nidum deportat. Admirabilem sapientiam prodit, quando ob defectum sæpè luti ad aquas advolat, & summitatibus alarum madefactis sese in tenuissimum pulverem involvit, & hòc pacto usum luti sibi comparat. Invenis & hìc summæ providentiæ vestigia. Globosam semper figuram & æquabilem, non angularem & anfractibus plenam eligit, ne infirmum sit domicilium, sed insidiis fortiter resistere possit. Idem cernimus in apiculis, quæ nôrunt quomodo favi disponendi, & quomodo dulcia formanda mella. Quocirca hæc admirans Virgilius in Georg. lib. 4. ait:

*Esse apibus partem divinæ mentis, & haustus
Æthereos dixere:*

Quin & Aristoteles lib. 3. de Generat. animalium cap. 12. *Nihil, inquit, habent (Crabrones) divinitatis, ut habent apes.* Idem in pullis gallinarum, equum & canem non timentibus, minorem tamen, & ne notum quidem sibi accipitrem fugientibus, videre licet.

§. 4. Pergimus, & IV. alium locum ad roborandam thesin producimus, desumptum ab *Agentium naturalium Sapientiâ & Constantiâ.* Sapienter pariter & constanter agunt. Sapienter agit hirundo, cum ad constructionem nidi sui non lapides, vel grana, vel ligna, sed lutum & arenam, ceu media proportionata, & ad finem consequendum adæquata, colligit. Sapienter agit formica, cum colligit grana: sapienter pomus cum circulat poma: sapienter planta cum attrahit humorem. At verò sapientis est non ignorare finem. Quis ducem belli vocaret sapientem, si victoriam ille non cognosceret, & de mediis quibus obtinere possit eam, deliberaret? Theologus Matheologus, JurisConsultus in jure stultus, Medicus Mendicus, Philosophus Morosus esset, qui finem suum non haberet cognitum. Procedunt etiam eòdem semper modo, & omnia ordine & decenter perficiunt. Unò eòdemq; semper modo vitis uvas, pomus poma, lapis lapidem producit: unò eòdemq; modo semper Magnes ferrum

ferrum trahit, stellæ currunt ac decurrunt, pluvia nivesq; decidunt, ac cætera meteora gignuntur. Quis ergo tam constantissimè pariter & sapientissimè Agentibus omnem finis cognitionem denegaret? Argumentum forte tale: *Q. sapientissimè & constantissimè agit, id finem, propter quem suscipit illas actiones, simpliciter non ignorat. Agentia naturalia sapientissimè & constantissimè agunt. E. finem suum, propter quem suscipiunt illas actiones, simpliciter non ignorant.* Respondent quidem Adversarii ad hoc argumentum negando: naturalia Agentia propriè loquendo sapienter agere, cum hoc solius hominis sit. Quis verò non videt nudam hanc, & probatione destitutam assertionem, eâ quâ profertur facilitate rejici posse, præsertim cum contrarium, nempe naturalem dari sapientiam, jam ante sit sufficienter demonstratum. Scaliger inquit Exerc. 60. Sect. 1. *Hoc axioma (Natura agit sapienter) adeò frequens Aristoteli, ut superfluum sit, citare loca pro testimoniis.*

§. 5. Addimus his V. *Autoritatem divinam.* Ipsa Scriptura S. claris verbis nostram adstruit sententiam, dum quatuor terræ animalcula minima, Formicas, Cuniculos, Locustas, & Araneas, sapientiora prædicat sapientibus. Prov. c. 30. v. 24. Cornelius à Lapide, hunc in locum commentatur egregiè, dicitq; hæc quatuor minima terræ ex solò Naturæ instinctu exercere quædam sapientiæ opera, magis quàm hi, qui nomè sapientis profitentur, aut quàm homines qui verè sapientiæ sunt capaces, & ideò vocari sapientibus sapientiora, quod actione suâ singulari doceant sapientes sapientiam, & ab eis non doceantur. Hanc rationem nostrates Ecclesiæ Doctores non improbant, sed approbant. Excellentissimo Dn. D. Waltero in Harmoniâ Bibl. super hunc locum p. 351. non adeò ad palatū est eorum sententia, qui censent illa Animalcula sapientiora prædicari, i. e. sagaciora & solertiora cæteris tantum animantibus: cum plus omninò hîc dicatur. Quapropter laudatam sententiam, ceu veriore, recenset, & duobus Scripturæ dictis, quorum alterū Prov. 6. v. 6. alterum Matth. 10. v. 16. reperitur, confirmat. Ipse Spiritus S. si modò verba sequentia penitus introspiciamus, evidentissimam hujus appellationis rationem suppeditat. *Formica, inquit v. 25. seqq. populus infirmus, qui preparat in messe cibum sibi: Cuniculi sunt*

sunt sanè plebs invalida, quæ collocat in petrà cabile suum. Regem locusta non habet, & tota egreditur in universum agmen collecta. Aranea utrobique amplectitur, & moratur in ædibus Regis. Elucet hinc sapientia formicarum, quod præparent in messe cibum sibi, ne scilicet fame pereant hyeme. Cum n. appropinquat messis, dulcissimè æstatis tempus, aut singulæ, aut binæ, aut ternæ ad legenda grana exeunt, tantâ industriâ, ut dicente Ælianô lib. 2. c. 25. ne noctes in suo opere cessent, modò sit plena lunâ. Hoc admirans Virgil. lib. 4. Æneid. ita de formicis canit:

*Id nigrum campis agmen, prædamque per herbas
Convectant calle angusto, pars grandia tridunt
Obnixè frumenta humeris; pars agmina cogunt,
Castigantque moras, opere omnis semita fervet.*

Eodem modò & cuniculorum, & locustarum, & arenearum sapientia elucet, cum omnes ob naturalem finis cognitionem tam sapienter suas actiones subeant. Argumentum esset tale: *Q. sapientibus sapientiora sunt, illa fines suos cognoscunt. Formicæ, cunicul., locustæ & araneæ, sapientibus sapientiora sunt. E. fines suos cognoscunt. Major & antecedentibus fluit. Minor jam probata est.*

§. 6. Objicis: dubium esse, quid per \aleph & \aleph Ebræorum h. l. intelligatur, cum prima vox etiam lepusculum; hæc stellionem significet, ut vertit antiquus Interpres: formicam autem & locustam sapientibus sapientiora esse ob Dei sapientiam, illarum fines cognoscentem, & actiones dirigentem. Verum quod prius attinet, sunt qui voce \aleph etiam lepusculum complectantur, non tamen eò ipsò nobis contradicunt, cum cuniculus sit lepusculus, seu lepus parvus. Alteram vocem varii variè exponunt: Vetus translatio voce: stellio utitur; Aben Ezra & Pagninus vocem: Simia adhibent; R. Salomo, tandè, Maring, & alii, eam per Araneæ nomē reddere malunt. Postremæ versionis ceu omnium optimæ, Luth. in Bibl. Germ. subscribit, Araneæ n. mango elegantissimè tribuuntur, cum pedibus suis telam velut manibus faciat & apprehendat. In palatiis etiã Regum eandem versari apertum est. Et posito hinc alia animalia intelligi, an ex eò sapiëntia & his ipsis, te iudice, erit deneganda? Neutiquam. Ad posterius respondemus: falsum esse hæc animalcula ob vicariam & alienam sapientiam sapientibus sapientiora vocari, cum ipsis concretum intrinsecè tribuatur. Cui autem concretum intrinsecè competit, ei quoque abstractum tali modo tribuendum est, sicut habet Logicorum Canon vulgatissimus.

§. 7. Tandem VI. sententia adversa absurditate premendè est: *Si Agentia naturalia non cognoscant suos fines cognitione propria, erunt cause per accidens suorum effectuum. Ad posterius est absurdum. E. & prius. Major probatur: quia causa per se agit cum intentione, quæ finis cognitionem demum insequitur. Minor patet. Quis enim dixerit; Solem esse causam per accidens celerissimi sui motus*

motus, cum eum intendant? Quis affirmaverit canem esse causam per accidens canis à se producti, cum intentione quâdam, ex naturali cognitione proveniente, eundem generet. Atq; hæc sunt argumenta, quibus cognitionem Finis omnibus Agentibus naturalibus assignandam esse, probatum dedimus. Cætera transeant.

ΑΝΑΣΚΕΥΗ.

Thesin vindicans.

§. 1. Audiamus tamen obiter unum adhuc vel alterum huic veritati oppositum argumentum. Ille, cui supra intendebamus elenchum, argumentatur: *Quæcumq; non pollent potentiâ cognoscitivâ, illa non nôrunt id quod agunt, neq; finem propter quem agunt. Sol, ignis, planta &c. non pollent potentiâ cognoscitivâ. E, ignis, Sol, planta &c. non nôrunt id quod agunt, neq; finem propter quem agunt.*

§. 2. D. Freitagius urget Canonem; *Opus Naturæ est opus intelligentiæ non errantis: & hinc colligit Agentia naturalia non agere quicquam cognitione sui finis, sed cognitione Naturæ Naturantis. Idem l. c. nobis opponunt Conimbricenses.*

§. 3. Adrianus Heerebord existimat: *Optimè philosophari istum, qui docet: bruta saltem & hominem agere ex propriâ cognitione finis; res verò naturales & plantas propter finem agere ex præviâ cognitione & directione Dei: cum providentia Dei ex hæc de sine Philosophiâ innotescat. Quisquis, addit, ita philosophatur, ut Deum Deiq; attributa, proprietatesq; & operationes ex Philosophiâ, quantum fieri potest, lumine naturæ cognoscatur, is demum verè & sobriè philosophatur, & ex Philosophiâ animi veram voluptatem capit.*

§. 4. Hæc ferè sunt contrariæ sententiæ argumenta, (autoritates enim Interpretum, vel alius cuiuspiam hic non curamus) quæ tanti tamen non sunt momenti, ut veritatem membrò præcedente probatam evertere queant. Quod enim ad primum, resp. 1. Majorem limitando: *Quæcumq; non pollent potentiâ cognoscendi vel Intellectuali, vel Sensuali, vel Naturali, illa non nôrunt id quod agunt, neq; finem propter quem agunt.* 2. Minorem negando. Datur in his agentibus cognitio Naturalis, juxta quam finem suum modò debitò cognoscunt. Quod ad secundum, negamus consequentiam. Quicquid natura agit à Deo quidem est, cum causa causæ etiam sit causa causati; non tamen propria finis cognitio naturalibus Agentibus hinc deneganda venit. Diximus supra: *actiones Causæ Primæ non excludere actiones Causarum Secundarum.* Deo non secus ac Naturæ ipsi adscribuntur naturæ opera, quia vires operandi concedit, & ad singula opera efficacissimè concurrit, cum fortibus agendo fortiter, cum debilibus debiliter, cum liberis liberè, cum necessariis necessariò, cum contingentibus contingenter. Ultimum argumentum non tam subriliter, quàm superstitiosam sanctamq; agrestitatem continet. Non enim existimamus res naturales non administrari à Deo, quis enim Christianâ doctrinâ vel mediocriter eruditus hoc inficiari posset? hoc tamen seriò affirmamus, quod in actionibus ob cognitionem finium susceptis, nec Deus sit absq; naturâ, nec natura absq; Deo:

CUI SIT LAUS ET GLORIA.

05 A 707


ULB Halle 3
003 767 175



1007







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

41

ΕΘΣ!
 PHYSICA
 ΑΣΤΙΚΗ
 ΝΙΣ:

Agentia

os cogno-
 nes ?

im Academia
 n limæ submittunt
 E S

DRUS / MAZRE /

ENS
 Ö / Brandenburgô-
 ci.
 clb Ioc LX.
 Minori,
 tinis.

 RGÆ,
 LIS Wendt.

3